



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 37. De Ecce homo: & vltimo examine, quo Pilatus Christum
examinavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXXVII.

DE ECCE HOMO, ET VLTIMO
 examine, quo Pilatus Christi
 sum examinavit.

PUNCTVM I.



INGRESSVS Pilatus locum, vbi
 erat Christus Dominus, videns
 illum crudeliter aded tractatum
 ac deformatum, existimavit, vel
 solo eius aspectu fore, vt plebis
 furor placaretur. Iussit itaque vt milites, ad
 quendam Prætorij locum eminentem, vbi pos-
 set ab omnibus facillè videri, eum deducerent
 præueniens verò ipse ad eundem locum, a di-
 cit eis, *Ecce adduco vobis eum foras, vt cogno-*
scatis, quia nullam inuenio in eo causam, cur sit
morte multandus. Exiuit ergo IESVS, por-
tans coronam spineam, & purpureum vestimen-
tum.

a Ioan. 19. 4

PERPENDAM hic rubo-
 rem illum, quo Christus Dominus fuerit af-
 fectus, cum esset coram tanta populi mul-
 titudine, vilissimo & abiectissimo illo cor-
 poris & vestium cultu, & quanta animi de-

missione voluerit in horrenda illa, & lachry-
mabili figura, ab omnibus conspici! O Re-
demptor mi, quantum interest inter hanc fi-
guram tuam, & illam, quam in monte Ta-
bor, splendore & maiestate plenam, ostendi-
sti illam tribus tantum discipulis tuis, & in edi-
to monte ostendisti: hanc in edito, etiam
loco, sed toti populo ostendis, ut omnes
tuas videant ignominias, & ut illæ crescant
ex eo, quod conspiciantur. Da mihi, Domi-
ne, viua fidei oculos, ut eandem hanc figu-
ram aspiciam: mihi enim non minus erit
mabilis figura hæc calamitosa, quam altera il-
la gloriola.

C V M Christus coram toto populo, in
tam miseranda figura comparuisset, ait il-
lis Pilatus: E C C E H O M O: quæ verba pri-
mum sunt perpendenda, tanquam à Pilato,
proprio spiritu prolata: & postea tanquam
à diuino spiritu, & aeterno Patre, ipsi Pilato
dictata, ut ea proferret. Simul etiam expedi-
dam, qua ego ratione illa audiam, & profe-
ram.

I. PRIMVM, quatenus à Pilato fuerunt prolata
hunc sensum habent. A spicite hunc hominem,
qui vocatur Rex, Messias, & Filius DEI, & de-
prehenditis aded illum castigatum ac defor-
matum ut vix hominem esse iudicetis: cum re ipsa
tamen sit homo: siquidē igitur homo est, sicut
vos estis, dolete humanæ vestræ naturæ vi-
cem, & estote contenti, quod talibus suppli-
ciis, miserandus hic homo sit affectus. Sed in

anima

anima mea, eundem hunc hominem, aspice secundum exteriora omnia, quae in illo cerni possunt; ut miserandae eius figurae compatiaris; aspice hunc hominem flagellis vulneratum, spiritus defraudatum, a lapidibus luidum; aspice eundem ignominiosa veste indutum; doloris & contemptus coronam coronatum; aspice eum attentè, & intelliges, verissimè ipsum dixisse: *b* Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. & qui c. speciosus alias erat forma praesulij hominum, idem nunc omnium est deformissimus. *d* Non enim est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus. O Fili hominis, Deus & homo verus; factis magna fuit humiliatio, quod te ad formam hominis suscipiendam abieceris; cur te adhuc in ea forma abicis, ut vermis potius quam homo, & plebis abiectio, opprobrium hominum habearis? Superbia, qua ego contendi plus esse, quam homo; & Deo comparari volui; illa in causa est, cur tu, Deus meus, ita te abieceris, ut minùs videaris esse, quam homo: tam detestanda enim superbia, medicinam exigebat stupendae huius humilitatis. O utinam externus meus homo, tuo esset omnino similis; gaudens, ex vera humilitate, calcari se tanquam vermem; & minùs quam hominem, & opprobrium hominum haberi.

II.

DEINDE sunt eadem verba expendenda, quatenus fuerunt à diuino Spiritu, per os Pilati prolata: ECCE HOMO: qui etsi hominatum esse videtur, plus tamen est, quam

¶ ¶ ¶ homo

homo: quia filius est Dei viui, Messias in leg
promissus, hominum & Angelorum caput
humani generis Redemptor, & vnicum me
riarum eius remedium; cuius tanta fuit chari
tas, vt hanc figuram aded lamentabilem, ho
minum tantum amore susceperit; vt peccato
rum eorum debita soluens, eos ab æternis
nis, quas peccatis suis promeruerant, libera
ret. quamobrem dignus est, cui infinitæ grati
agantur, & omnes eundem verum hominem
& verum Deum confiteantur, laudent, ad
rent, ei que seruiant in secula. Amen.

H A S & similes excellentias perpendit
in hoc homine, & quasi mihi verba illa: **ECCO
HOMO** dicerentur, prorumpam in affectu
admirationis, amoris, & fiducie, dicens: Itaque
est possibile, vt homo excelsus aded atque
uinus, ita sit abiectus? quid est, quod non mihi
liceat sperare; ab eo qui tantam mihi benig
tatem & amorem ostendit? quomodo non
deficio præ amore eius, qui tanta pro me
cit? ô homo, plus quam homo, honor gen
ris hominum; ego te adoro & glorifico, tan
quam hominem & Deum verum ac æternum
supplexque oro, vt me in tuum seruum acci
piens, flebilem istam vultus tui figuram vultu
meo inuras.

III.

TERTIO, eadem verba perpendam, tan
quam ab æterno Patre prolata, dicente, **ECCO
HOMO**, quem ego in mundum misi, vt ho
minum esset Magister, & totius perfectioris
ac sanctitatis exemplar; cuius vt exemplum re
lin

linqueret tremēdam hanc accepit figuram: at-
tendite ad internas eius virtutes, in medijs hu-
iusmodi afflictionibus constitutis; eius humili-
tatem, in tot opprobriis; eius paupertatem spi-
ritus, in tanta nuditate; eius mansuetudinem,
in atrocibus adeo iniuriis; eius patientiam, in
horrendis adeo doloribus; eius modestiam, in-
ter tot ipsum blasphemantes; obedientiam,
inter tot persecutores; charitatem, in medio
eorum, qui illum oderunt. Et siquidem ipse in
vestrum exemplum, hanc figuram assumpsit,
diligenter illam inspicite, & vestris animis
inculpire. O Pater æterne, nunquid homo
iste, ille ipse est, de quo tum in eius Baptismo,
tum in Transfiguratione dixisti: *e hic est Fi-* *Mat. 3. 17.*
lius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum *7. 5.*
audite? si idem hic est, qui tunc; ubi colum-
bæ figura, quæ eius declaret innocentiam?
ubi nubes splendida, quæ ostendat eius Diui-
nitatem? ubi Moyses & Elias, qui sua præsen-
tia, auctoritatem & opinionem illi concihet?
nam his omnibus eum video destitutum, sed
intelligo tamen, eius virtutes nunc ipsum co-
mitari, quæ prædicent innocentiam, Diui-
nitatem manifestent, & personæ auctori-
tatem adferant. Siquidem autem iubet, ut
illum aspiciam & imiter, adiuua imbecillita-
tem meam; & terreni hominis imaginem in
me delens, fac me conformari imagini hu-
ius hominis Cælestis. Hac igitur ratione pergā
aspicere Christum Dominū nostrū internè &
externè, attendens, eum, qui in externis videtur

minus

minus esse, quàm homo; in internis plus esse, quàm homo: In externis deformis est, ob horrenda vulnera; in internis speciosus ob admirandas eius virtutes: conabor verò firmè concipere desideria, singulas illarum imitandi.

IV.

DENIQUE ad æternum Patrem confusus, ut obtineam, quæ desidero, dicam illi, **ECCĒ HOMO**, ò Pater æterne, ob mea peccata vulneratus & deformatus: tu iubes illum respicere, ut illi compatiar: ego supplico, eundem ut tu aspicias, ut mei miserearis. Vis me illum aspiciere ut imiter; eundem & tu aspice, ut eius intuitu, vires mihi ad illum imitandum concedas. O Pater supreme, quem omnes homines, grauibus peccatis iniuria affectus respice istum hominem, grauibus doloribus cruciatum, ut pro nostris offensibus satisfaceret; ut placatâ irâ tuâ, omnes illas nobis remittas! O Pater misericordiarum, **ECCĒ HOMO**, qui intra cor suum, omnes homines continet, & vitam suam pro omnibus offerre in me solum oculos conicias, sed simul etiam in istum hominem; & quod ego per me non sum promeritus, hoc mihi per illum, qui illi promeritus est, concede. *†* **Protector** nostrorum *aspice Deus, & respice in faciem Christi tui:* non est enim possibile, ut quos ille in occulto faciei suæ, tali figurâ affectæ, absconditos habet, tu eos deseras: respice, **DEVS** meus, in hoc speculum, in quo diuinam tuam faciem videbis, cum sit *imago substantiæ tuæ*, & per eum

† Psal. 83. 10.

nos etiam respice; ac videbis eius nos esse imaginem; & ob amorem, quo tuam imaginem prosequeris, ignosce, reforma, & sanctifica omnes, qui ad eius imaginem conditi, & sanguine, quem in flebili illa figura effudit, redempti sumus.

PUNCTVM II.

AD hæc verba Pilati, responderunt Pontifices & Ministri clamantes: crucifige, crucifige eum. Consideranda hic est, Diabolica Pōtificum & Sacerdotum, plebisque ab eis permota crudelitas, qui non solum non sunt compassi Domino huic, ad eum vulnerato, & afflicto, sed odio potius incredibili, conspecta afflictiissima illa figura, satis eorum creuit, vt alia maiora illi adderentur, dicentes: *crucifige, crucifige*, atque si dicerent Pilato, quod bene cōepisti, eum verberando, per hęc, eum etiā crucifigendo; siquidem verbera crucifixionem præcedunt. O quantum sensum effecerint isti clamores in auribus saluatoris, respicientis plebis illius pertinaciam, in vrgenda eius mortē, maiori feritate, quam ipsi Gentiles, qui satis esse existimabant, quæ illata ei fuerant tormenta: populus verò ille, noua alia vt inferrentur, vrgebat. Meminerat beneficiorum, quæ in eundem populum ipse contulerat; & aduertens, quātum malum pro eis ipsi rependerent, vehementer dolebat, ob supplicium, propterea illis inferendum: ac

deter.

a Ioan. 19. 6
Luc. 23. 21.

desertionem, quàm à Deo merebantur. O anima mea, quomodo non præ dolore crepas, videns tanto odio haberi eum, qui summo amore dignus erat? quomodo facies tua non lacrymis perfunditur, videns tui Domini faciem sanguine perfusam; & adhuc eius inimicos trahentes, ut reliquum effundatur: ama igitur toto cordis affectu eum, qui tantoperè te amavit, ut sic aliquo modo ei respondeas pro adeo iniusto odio, quo eius hostes eum prosequuntur, & stude ferventiùs eum diligere, quàm ut hostes eum detestentur.

COMMOVVS Pilatus proterviâ Pontificum & Ministrorum, b dicit eis: *accipite eum vos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo culpam ad id sufficientem; responderunt ei Iudei: nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.*

IN his verbis, accusarunt Pontifices illi & Ministri Christum Dominum blasphemiam iudicantes, quod dixerit se esse filium Dei, non adoptione, sed naturâ, quæ iuxta legem, debere pœna mortis puniri. In quo apparet huius detestandæ gentis cæcitas, quæ ipsam Dei veritatem, scripturis asserentibus, Messiam esse Filium Dei, probatam, & que prodigijs, quæ Christus ad certam eorum fidem faciendam edidit confirmatam; ipsi blasphemiam appellabant. Constat igitur, ipsos potius blasphemos esse, qui eam veritatem blasphemiam appellant; ac propterea illis pœnâ legis, aduersus blasphemos, fuisse dig-

nissimoo

missimos. Veruntamen hic vera blasphemia
condonatur, falsa verò castigatur, quia Dei fi-
lius, eò se voluit dimittere, vt tanquam blas-
phemus castigaretur, quò veniam verarù bla-
phemiarum promeretur. O Rex supreme, ve-
rissimum quidem est, tibi secundùm legem es-
se moriendum; non quod te filium Dei feceris,
sed quod cum verè filius Dei esses, factus sis
homo, vt morte tua, multos Deo filios adopti-
uos generares. Per eandem mortem supplex
oro, me vt facias filium tuum, & vt talis pec-
cato moriar, mundo, & carni: & mihi viuere
desinam, vt tibi viuam. Amen.

Ex his discam, quàm sit proprium ini-
quorum & imperfectorum, legem iactare &
perpetuò inenlaré; quam tamen ipsi mini-
mè seruant; nisi in ijs, quæ ipsorum palato
arrident, & honorem promouent. ad ea enim
consequenda, legem adhibent; vt sic dissi-
mulantes, deprauatam suam intentionem, oc-
cultent. Ego autem peruersum huic & ob-
stinatum morem detestans, legem ita iactare
studebo, vt re ipsa integram obseruem, me-
mor illius Apostoli sententiæ *c non auditores c Rom. 2. 13.*
legi iusti sunt apud Deum, sed factores legis in-
spiciuntur. nam alioqui ipsa d *lex, vt idem d 4. 14.*
Apostolus ait, *iram operatur*, hoc est me
ipsum condemnabit, inobe-
dientiam meam ape-
riens.

PUNCTVM III.

a Ioan. 19 8.

CVM a ergo audisset Pilatus hunc sermone[m], magis timuit; & ingressus est Praetorium iterum & dicit ad IESVM, *quid es tu?* IESVS aut[em] responsu[m] non dedit ei. Dixit ergo ei Pilatus, *michi non loqueris? nescis, quia a te habeo dimittere te? & potestatem habeo dimittere te?* respondit IESVS. *Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset de super; propterea qui me tractat tibi, maius peccatum habet.*

I.

CONSIDERANDA hic est, causa huiusmodi timoris Pilati, cum audiisset, Christum Dominum, facere se filium Dei: insignes enim virtutes, quae in Christo resplendebant, credibile valde faciebant, ita esse, ut ipse dicebat, quare Pilatus, ne diuinam indignationem incoreret, eum condemnare metuebat. O quam admiranda fuerit illa mansuetudo, & patientia, quae vel sola, absque insignibus alijs prodigiosa fuit sufficiens, ut Gentilis ille iudex, etiam alioqui iniquus, credibile iudicaret, hominem adeo afflictum, maleque tractatum, posse esse filium Dei viui? da mihi, o bone IESVS, has virtutes ita imitari, ut propter illas, in te glorificeris.

II.

DEINDE considerandum, statim, superbiam iniquum hunc iudicem inuasisse; indignum est enim, quod Christus illi nihil responderet, aduersus suam auctoritatem a Christo peccari existimans. Hoc e[st] tendit eius praesumptio.

& inflata illa grauitas, & verborum iactantia, ut efficeret se à Christo aestimari: quæ omnia, ut propria sunt hominum huius mundi insignia, ita sunt à me procul repellenda, si à partibus Christi stare volo.

III.

PRAE omnibus autem perpendenda est admiranda Christi Redemptoris nostri prudentia, in tacendo & loquendo. Tacuit enim in hoc loco, quando eius responsum, in sui tantum defensionem fuisset opportunum: locutus est tamen, quando id erat ad propugnandum Dei honorem necessarium; & ad coripiendum iudicem superbum, qui suam iactabat potestatem; tantaque libertate tunc est locutus, atque si in tanta miseria constitutus non fuisset. Dixit itaque illi, ne tuam iactes potestatem, quæ ipsa tua non est, sed desuper tibi data à Patre meo cœlesti, sine cuius licentia & permissione, nihil aduersum me potuisses. In quo ipso maximè eminet æterni Patris bonitas, qui in proprium filium potestatem dedit tam impio Iudici, in bonum nostrum. O Iudex supreme, cui Pater æternus potestatem dedit, viuos & mortuos iudicandi: gratias tibi ago, quòd adeo superbo Iudici, & suam potestatem iactanti, cum ex altera parte adeo esset timidus, ut eadem potestate rectè uti non auderet, subiicere te volueris. Libera me Domine, ab his adeò perniciosis extremis, ut neque superbia insolescam, nec pusillanimitate opprimar.

PUNCTVM IV.

PROPTER hoc responsum Christi Domini, a querebat Pilatus liberum dimittere IESVM: Iudai autem, minas intetantes, clamabant dicentes, si hunc dimittis, non es amicus Caesaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Caesari. Atque si distinctus illi diceret; si hunc dimittis, accusabimus te apud Caesarem, quod eius hostem, qui se Regem fecerit, in detrimentum Imperij ipsius, liberum miseris. **b** Pilatus autem, cum audisset has sermones, conterritus, adduxit foras Iesum, & sedens pro tribunali, dicit Iudais, **ECCEREX VESTER.** Hæc verba considerari possunt, vel tanquam à proprio Pilati spiritu prolata, vel tanquam prolata à Diuino spiritu, qui ad dicenda illum permouit.

I. PILATVS illa dixit in ludibrium, atque si dixisset, ecce miserum hunc, quem dicitur facere se Regem vestrum: quod si neque Rex sit, nec prætendat Rex esse. non est enim nisi Actiois alicuius comicæ Rex; vt corona hæc, sceptrum, & purpura, quibus est ornatus, ostendunt. Nec credite hunc posse facere se Regem, aut Caesari contradicere. O Rex cœlestis, qui es abiectus inter homines, formam gerens hominis, & depicti Regis, luens hac humiliactione superbiam & ambitionem, qua illi regnare appetunt. **b** Rex quidam Israel mutauit habitum suum, & ingressus est bellum, vt hac larua mor-

b Reg. 22.
30.

tem euaderet, quam eius aduersarij *ipsi soli* machinabantur, cæteris omnibus illæsis dimissis. Sed tu **DEVS** meus, Rex verus Israel, accipis insignia, & Regis titulum, quo morti te ipsum tradas, vt te mortuo exterius a morte liberentur. Benedictus hic sit Rex, qui ita suos diligit subditos, vt quò illi viuant, velit ipse mori! moriar ego Domine milles, vt tu in me viuas, & ego tibi viuam.

HÆC eadem verba, dixit Spiritu diuini ore Pilati Iudæis, vt illis indicaret, quod presentem haberent, quem tantopere aliàs desiderasset, **ECCE REX VESTER**, quem per tot annos expectastis, Regem & Messiam, in Prophetis promissum, ad vestrum remedium. *Regem constitutum à Deo, super Sion montem sanctum eius*; qui succedit in domo Dauid, cum virga æquitatis, cuius regnum erit æternum; Regem à Deo vnctum, vt vos à Dæmonis liberet seruitute; ecce illum vobis hic offero; aspiciate, num illum noueritis, & in verum Regem vestrum, sicut re ipsa est, recipere velitis. Eodem quoque spiritu existimabo, eadem verba mihi & Christianis omnibus dici, **ECCE REX VESTER**, Rex sanctus & sapiens, mansuetus, & humilis, liberalis, profusus, adeoque beneuolus, vt vestri gratiâ, flebilem hanc figuram acceperit, cruciatus & tortus: ecce Rex ab æterno Patre constitutus super Ecclesiam militantem & triumphantem; Rex cœli & terræ, Rex

I L.

cPsal. 2. 6.

dd 2

glo-

bus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplina nostra: promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutata sunt via eius. O iuste iustorum iustissime Saluator noster, nobis commodissime & utilissime, quia sine te omnes inutiles essemus, & æternum periremus? Grauis est impiis aspectuosus; sed bonis est gratissimus; rebelles peccatores, te videre non volunt, sed iusti semper cupiunt contemplari: nunquam quæso, subtrahat se diuina ista tua facies, ab oculis meis; quamuis in ea tristi figura, quam mei gratiã accepisti, nam cum te ita affectum aspicio; inducor & adspiro ad tuos labores imitandos, vt te videam postea, fruarque in æterna requie.

II.

DEINDE iniquitas & cœcitas consideranda est huius gentis, quæ verum Regem à Deo sibi, in magnum suum commodum, datum reiicientes, Tyrannum illum in Regem suum acceptarunt, qui facultatibus & libertate, quam illi tanti faciebant, spoliabat; & quem antea detestabantur; nunc, in odium Christi, recipiunt; ne ipsum Christum Regem habeant: in cuius sceleris pœnam, permittit Deus Dominus noster, vt verum Regem & Messiam amitterent quidẽ; sed terrenus ille Rex, quem ipsi elegerant, contra eos versus, eosdem destrueret ac desolaret.

HÆC omnia applicare mihi ipsi licebit,

dd 3 ac per-

ac perpendere, quoties ego coelestem Regem
 abiicio, vt terrenum accipiam, idque ob in-
 nis & transeuntis honoris puncta, ita ducens
 vitam meam, atque si nullum alium, quam
 Cæsarem, Regem haberem: quo magnam
 Deo Domino nostro iniuriam infero; sicut in-
 tulit pertinax ille & peruersus populus He-
 bræus. O supreme Rex, ex toto corde doleo
 quòd te toties reiiciendo offenderim: quando
 eram de hoc mundo, dicebam cum mundum
 non habeo Regem nisi Cæsarem; sed ex tunc
 Domine, quod in me est, dico, me nulli alium
 Regem habere, nisi Christum. tu meus es
 Cæsar, meus Rex, cui obedire, & toto corde
 seruire cupio, quod si terrenis regibus obe-
 diam, id faciam, quia tu ita vis; & in ijs tan-
 tum rebus, in quibus eis obediendum tu ius-
 tuisti; nam in ijs, quæ contra tuam san-
 ctam legem erunt, neminem alium,
 quam te Regem agnosco, cui
 sit honor, & gloria, in
 sæcula. Amen.

(:)

